

Dy. Marb. f. 100. 2748

DISSE<sup>T</sup>ATIONEM MEDICAM IN AVGVRALEM

DE

HAEMORRHAGIA NARIVM

P R A E S I D E

D. GEORGIO RVDOLPHO  
BOEHMERO

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE, PHY.  
SICO PROVINCIALI ET SOC. OEC. LIPS. SODALI

P R O

GRADV DOCTORIS IN MEDICINA  
ET CHIRVRGIA  
RITE OBTINENDO

DIE XXX. MART. A. R. S. CLOCCCLII,

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

CHRISTIANVS FRIDERICVS WILHELMVS ELTZ  
BAERENWALDA - HERMVNDVRVS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTENBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

Pathol. spec.

446,30

Marb. f. 100. 1455



VIRIS

PRAE<sup>N</sup>OBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

IOANNI MICHAELI ELTZIO,  
SENATVS ET CIVITATIS DRESDENSIS,  
CHIRVRGO MERITISSIMO,

ET

GEORGIO ADAMO ELTZIO,  
PRAEFECTVRAE, QVAE AEDIFICIORVM PVBLI-  
CORVM MILITARIVM CVRAM GERIT, SVPRE-  
MAE CHIRVRGO MERITISSIMO

AVVNCVLIS MEIS OB IN ME COLLATA BENEFICIA  
IN AETERNVM PIE COLENDIS

B I L L V

H V N G

LIBELLVM ACADEMICVM

G R A T I S S I M A M E N T E

D. D. D.

A V C T O R.

*P r o o e m i u m.*

**V**t studiis Academicis finem imponam legibusque, quae exigunt, ut quilibet, qui ad Doctoris gradum adspirat, specimen aliquod publicum edat, satisfaciam, diu in ambiguo haesi, quamnam eligerem dissertationis materiam, de eiusmodi vero potissimum, quae aliquaem utilitatem, vel saltem vltiori disquisitioni occasionem, praebere possit, in primis agendum esse existimau. Quoniam vero Haemorrhagiae adeo frequentes sunt, et omnino omnem medicorum attentionem et disquisitionem desiderant, tam, ut imminentes praecaveri, quam, ut iam praesentes coerceri, et tolli possint, conamen meum nemo forte inutile iudicabit, quod de Haemorrhagiarum specie quadam conscribere, apud animum constituerim. Etenim, si quis est, in tanta morborum multitudine accurate obseruandus et caute tractandus, potissimum est Haemorrhagia, haec enim non solum per se considerata omnem attentionem meretur et nulla, etiam si exigua videatur, negligi debet; immo ex illa saepissime alii producuntur morbi, interdum periculosissimi, qui forsitan, Haemorrhagia antea rite disquisita, et curata, orti non essent. Et hunc quidem humorem vniuersalem, sanguinem nimirum, e quo caeteri humores omnes, excepto chylo, elaborantur, et cuius circuitus ad conseruandam vitam tam necessarius est, ut ne per momentum quidem eo carere possimus, cuiusque effluxus ipse modo salutaris, modo nocivus esse potest, hunc, inquam, humor tam in naturali, quam in praeternaturali statu bene cognoscere eiusque indolem scitu maxime necessariam rite disquirere debe re medicum, quis est, qui nesciat. Quoniam vero Haemorrhagiae narium admodum variae sunt, et vario modo erumpunt, de hac in primis Haemorrhagiarum specie agere, eamque paulo accuratius explanare, in animum induxi.



## P A R S I.

*De Haemorrhagia in genere.*

**A**d Haemorrhagiam in genere quod attinet, et in se spectatam, a voce: *αιμα, sanguis, et ρέω, fluo,* descendit estque *sanguinis e quodam corporis loco effluxus;* addit GER. VAN SWIETEN<sup>a)</sup> *Haemorrhagia propria vocabuli significacione copiosum sanguinis cum impetu effluxum denotat.* Haemorrhagiae autem diuidi possunt: 1) in *confuetas* seu *naturales*, quae a causa naturali corporis proueniunt, et utiles sunt; quorū spectat menstruorum et lochiorum fluxus, 2) in minus *confuetas* seu *praeternaturales*, quae corpori interdum quidem salutares esse possunt, saepius autem non salutares seu nocuae sunt. Ad has referri debent, *Haemorrhagia narium, Vomitus cruentus, Haemoptysis, Mictus cruentus, sanguis in dysenteria per anum emissus etc.* Haemorrhagiam quodammodo singularem constituere videntur *Haemorrhoides sanguineae*, quae quidem olim a nonnullis naturalibus sanguinis eruptionibus annumeratae fuerunt; sed opinione hac iam dudum explosa, non nisi ad praeternaturales sanguinis effluxus referri debent; si vero corpus iam iis assuetum est, respectu solius huius corporis quodam modo pro fluxu salutari reputari possunt, quamvis alias semper pro statu praeternaturali habendae sint. Deinde diuidi possunt Haemorrhagiae 1) in *internas*, quae in partibus corporis interioribus occurrere solent; 2) in *externas*, quae externo corporis habitui accidunt. Porro etiam 1) in *criticas*, quae morbos, materia ad expulsionem rite praeparata, soluunt et aegrotis leuamen afferunt; 2) in *symptomaticas*, quae ad alium morbum accedunt et leuamen aegrotis non afferunt, sed potius morbum peiores reddunt. Sic etiam 1) in *habituelles*, ad quas semper quaedam praedispositio in corpore haeret et quae accidente causa occasionali semper oriuntur, 2) in *accidentales*, quae tantum casu quodam euenire solent sine quadam corporis dispositione. Tandem prae omnibus iam allegatis divisionibus sequens mihi primaria videtur: dum

acti-

a) vid. Eius Comm. in Herm. Boerh. aphorism. de cogn. et cur. morb. L. Bat. 1743. Tom. I. pg. 346.

*actiua et passiuas* inter se recte discernimus, 1) *actiuae* a causis internis, et a sanguinis motu in vasis aucto, vel a congestione sanguinis oriuntur, et sponte obueniunt, et vel sine, vel cum febre, quae variae indolis esse solet, coniunctae sunt; 2) *passiuae* autem non tam a causis internis, quam potius a laesioribus et irritamentis externis oriuntur, et rarius febrem sociam habent. Et si hae a causis internis proueniunt, non a sanguinis motu aucto in vasis, vel a congestione sanguinis versus certam partem deriuandae erunt; sed potius a sanguinis procliuitate in putredinem, vel a vasorum debilitate et erosione oriuntur.

*Symptomata* Haemorrhagias concomitantia sunt: Peruigilium, Delirium, Vertigo, Dolores capitis, dorsi et lumborum, Surditas, Obnubilatio oculorum, Pulsus celer, Respiratio frequens, Palpitatio cordis, Suspirium, Anxietates et Angustiae praecordiorum, Agrypnia, Nausea, Horror atque Lassitudo.

Inter causas *praedisponentes* Haemorrhagiarum referri debet: Plethora, nimia sanguinis Tenuitas, Acrimoniae sanguinis, potissimum vero nimia Debilitas, et vasorum et reliqui corporis, Obstructiones viscerum, et Vitia organica vasorum et viscerum.

Causae *occidentales* sunt: Aér nimis rarus, summe calidus et frigidus, Motus nimius, acria vrinam pellentia Medicamenta, Vomitoria et Purgantia draistica, Potus spirituosus, animi Affectiones vehementiores, Sordes primarum viarum et Laesiones externae. Causae proximae a) *Anastomosis pathologica*, quae est nimia osculorum canarium ampliatio, b) *Diapedesis*, exfudatio sanguinis per fibras, latera canarium constituentes, nimis a se inuicem secedentes, ita vt inde interuallolia, quamvis sine vera ruptura, oriuntur; c) *Diaeresis*, quae fit vel per Rixim, siue vasis plenariam rupturam, vel per *Diabrofis* seu erosionem vasorum.

*Diagnosīs* per se patet.

*Prognosīs*. Indicantia sequentia in Haemorrhagiis pro malis iudicanda sunt, scilicet: in parte affecta Dolor vehemens, Debilitas insignis, Sudor frigidus, animi Deliquia vehementia, vix perceptibilis inter-



intermittens Pulsus, Respiratio intercepta, Sopor, Delirium, Pallor faciei et reliqui corporis, Frigus atque Conuulsio. Haemorrhagiae, quae ex vasis magnis, a resolutione sanguinis, ab acri et rodente materia, ab obstructionibus viscerum, seu vitiis organicis vasorum et viscerum, et a nimia debilitate vasorum et reliqui corporis etc. oriuntur, periculosisimae sunt. In genere Haemorrhagiae omnes, criticis exceptis, quippe quae salutares sunt, et semper maximam utilitatem adferunt, cuius corpori damnum inferunt et potissimum iis, quae iamiam debilia sunt; hinc etiam saepissime morbi periculosi sequuntur, Hydrops inprimis et Cachexia. BVRSERIVS b) de Prognosi sequentia notauit: *Haemorrhagiam eo maius periculum afferre, quae ex vasis insignioribus fit, non est qui non videat.* Quo etiam profusior est, et breviori tempore plus sanguinis proiicit, ut aliquot eius librae cito effluent; quo imbecillior aeger videtur, et maxime si simul facies, labia, ungues, et reliquum corpus pallescant, extrema frigeant, arteriae subeant, deficiantque, Somnus occupet, et animus linquatur; eo propius imminet extremum vitae discrimen. Defectio vero animi non semper terrere omnino debet; nam interdum sanguis, quem reliqua auxilia cohibere non potuerunt, intercepto aliquantulum, aut quiescente cordis motu, cum minus, vel parum, imo nihil a tergo urgetur, subsistit, concrescit in thrombos, et vasa aperta occludit, nisi etiam propria vi contractili constringantur. Periculosior quoque est ea, quae ab interua causa efficitur; aut certe non minus prudentiae, atque opis exigit ipsa, quam quae ab externa. In uniuersum facilius curatur, imo non raro per se ipsam, et sponte cessat, quae ex plethora originante. Denique quaecunque fuerit Haemorrhagia, si pro eius duratione, copia sanguinis effusi modum non excedat, ex se sola non poterit magno detrimento esse. At si modum excesserit, animi deliquia, corporis languor, cachexia, hydrops timeri debent. Nec obstat prostare exempla quaedam sanguinis enormi copia excreti cum periculo quidem non exiguo, sed sine vitae iactura. Pessimum demum signum iure habetur, si ab Haemorrhagia pulsus occultentur, vacillent, euanescent, Syncope crebro ingruat, extrema frigescant, et membra conuellantur.

PARS  
b) vid. Eius Inst. med. pract. edit. noua, Lips. 1787. Vol. III. pg. 313.

## PARS II.


*De Haemorrhagia Narium in specie.*

Quoniam vero non de omnibus Haemorrhagiarum speciebus agere, sed tantum modo illam, quae in et per Nares euenire solet, pertractare constituerim, priorem nunc relinquo et ad posteriorem me converto. Antequam autem hoc fieri potest, necessarium duxi, breuem Narium anatomicam descriptionem praemittere. Nasus, qui ex quatuordecim ossibus, quinque cartilaginibus et quatuor musculis componitur, in arteriore parte cranii haeret, partim inter orbitas, partim sub his. Per septum Narium, quod tam osseum, quam cartilagineum est, et partim ab osse, quod Vomer dicitur, partim a lamina perpendiculari ossis ethmoidei et partim denique a cartilagine septi Narium formatur, in duas cavitates diuiditur, quae, tam versus anteriorius et exterius faciei, quam versus posterius et interius super faucibus aperiuntur. In qualibet cavitate a) Ossa spongiosa tria, Os spongiosum superius, medium, et inferius; c) b) Meatus narium tres, supremus, medius et infimus; c) Saceus lacrymalis; d) Sinus, quorum quatuor sunt paria, nimirum, Sinus frontales, ethmoidales, sphaenoidales, et maxillares seu Anthrum Higmori obseruantur. Omnis Nasi superficies interna, vt et cavitates tenui et subtili membrana, quae quasi est productio integumentorum communium, pituitaria seu Schneideriana dicta, obducitur. In hac membrana ingens copia vasorum, tam arteriosorum, quam venosorum, deprehenditur, adsunt quoque nerui, et folliculi mucosi, qui sic dictum mucum narium secernunt. Arterias accipit ab arteria maxillari interna, ab ophthalmica et a coronariis labiorum, quae rami arteriae maxillaris externae sunt; Venas autem a truncis venosis eiusdem denominationis. Nervos, praeter par primum seu Olfactorium, accipit a trigeminino, neruo maxillari superiori et neruo duro. Narium usus spectat potissimum

ad

c) Ita haec ossa numeravit et descriptis HILDEBRANDVS im Leibrbuche der Anatome, Tom. III. pg. 179. § 1657. alii autem duo modo in una, et sic quatuor in utraque cavitate assemunt.

B



ad odorem, respirationem, et quodammodo loqulam. Ex qua quidem breui descriptione apparet, ob vasa in naribus praesentia sanguifera Haemorrhagiam in hac cuitate facillime oriiri posse, eam autem semper medici attentione dignam esse. Est autem narium Haemorrhagia, *sanguinis praeternaturalis effluxus e naribus*; quae atque primario diuiditur in *actiuam* et *passiuam*; illa nempe, vt superius iam notatum fuit, a causis internis; partim ab *vniuersali sanguinis motu aucto* in vasis; partim a *congestione sanguinis*, oritur, et sponte, vel sine, vel cum febre obuenit. Haec actiuia iterum subdiuidi potest; a) in *salutarem*, i. e. quae corpori leuamen affert, siue in morbis, siue extra morbos accedit; b) in *non salutarem seu nocuam*, i. e. quae siue in morbis oriatur, siue non, corpori nullum leuamen producit. *Passua* autem a laesionibus et irritamentis externis plerumque oritur, et si a causis internis prouenit, vel a sanguinis procliuitate in putredinem, vel a vasorum debilitate et erosione oritur. Haemorrhagia narium dupli modo accidere potest, 1) vel *sanguis guttatum effluit* et tunc *stillicidium* vocatur; 2) vel uno flumine.

*Symptomata* praeter ea, quae in genere notauimus et in omni Haemorrhagia obseruantur, in hac quoque inueniuntur, accedunt vero alia, Anxietates subitaneae, Aurium tinnitus, Scintillae candentes ante oculos, et Rubor eorum, saepe etiam Visus nimis acutus, interdum Sternutatio, Lacrymae, Sensatio ponderis in nafo et Intumescentia in faucibus. A Cel. GRVNERO inprimis sequentia notantur: d) *Congestiones versus caput, dolores capitis, et colli, surditas, pulsus arteriarum temporalium, rubor faciei, obnubilationes oculorum, terror in somno, pulsus magnus, plenus, fortis, undosus, dupliciter pulsans, pruritus nasi.* CVLENIVS autem monuit: e) *Haemorrhagiam narium interdum oriiri sine praegressis symptomatibus; potissimum si vis externa occasionem praebuerit, respectu vero internarum causarum symptomata recensuit; capitis dolorem, pulsationem temporum, ruborem oculorum et faciei, interdum*

d) vid. Eius *Physiologische u. patholog. Zeichenlehre*, Iena 1794. p. 250.

e) vid. Ej. *Anfangsgr. d. prakt. Arzneywissenschaft*, Lpz. 1778. 2. Tb. §. 776.

terdum etiam alium obstrūctam, urinam pallidam, frigus pedum et horrorem super totum corpus ab aegroto perceptum. Addere liceat quoque ea, quae DREYSSIGIVS f) proposuit. Tensio quaedam spastica, tam in ambitu corporis, quam in partibus internis, praeſertim in alii depositione, et ſiccitas quaedam obſeruatur. In aliis ſanguinis effluxus e naribus ſoporofitate et ſomnolentia coniunctus percipitur. Haemorrhagia narium ſalutaris non guttatum, ſed ita euenire debet, ut iusta copia ſanguinis breuiori tempore effluat. Plerumque ſolummodo ſanguis ex una narium cauitate prouenire ſolet, et tunc forte, quia per vascula huic lateris tantummodo ſanguis euacuatur, in omnibus vicinis vasis ſtates praefertim emendantur. Si autem ſanguis ex utraque narium cauitate effluit, certe ad vehementem morbi gradum concludi poterit. Sanguinem in Haemorrhagia effluentem plerumque ex arteriis, rarius venis emauare contendunt. Interdum etiam Haemorrhagiam narium, per externa remedia ſuppreſſam, partes internas petere, atque nunc varia incommoda oriri, et aegroto dormienti ſacpe periculum ſuffocandi imminere, nullum eſt dubium. In obſtrūctione hepatis ſanguis e dextro narium cano et in obſtrūctione lienis e ſinistro effluere dicitur, et aberrationem ab hac regula pro ſigno malo habuerunt HIPPOCRATES g) et NICOLAI h) Exempla etiam de Haemorrhagia narium periodica extare, obſeruatum fuit a BLANCARDO, i) BERENS, k) ALBRECHTO. l)

Ad causas Haemorrhagiae narium Praedifponentes pertinent: Plethora, Debilitas vazorum et reliqui corporis, nimia ſanguinis Tenuitas, nimia corporis ſenſibilis Conſtitutio, vel nimis ſtricta et rigida, hinc illi, qui Temperamentum ſanguineum et cholericum habent,

B 2

f) vid. Ej. *Handbuch d. Pathologie der sogenannten chronischen Krankheiten*, Lpz. 1796. pg. 36-38.


g) vid. Eius Coac. 202.

h) vid. Ej. *Patholog. Part. VI.* pg. 361. §. 547.

i) vid. Ej. im 2ten Tb. der Holländischen Labrregister ſonderb. Anmerk. 74.

k) vid. Ephem. Acad. Natur. D. III. pg. 394.

l) vid. Commerc. Norimb. 1738. pg. 388.



bent, ad hanc Haemorrhagiam proclives sunt, Dispositio sanguinis ad putredinem, Acrimoniae specificae et exanthematicae, incaute sanata vlcera et effluxus consueti, vel naturales vel artificiales suppressi, Obstruções et Infarctus viscerum, Vitia organica vasorum et viscerum, Polypi, nimium corporis Incrementum, Dispositio haereditaria et s. p.

*Occasionales.* Frigus et Calor, aëris vicissitudines, Solis Aestui expositio, Victus aromaticus, nimis nutriens et calidus, Potus spiritu-fus et calidus, nimia in copia ingurgitatus, Motus et Exercitatio corporis nimis fortis, Saltatio et Equitatio immoderata, tibiarum Cantatio, nimis vehemens Risus, Veneris abusus, animi Affectio vehemens, Tussis vehemens, Sternutatio nimia, Vomitoria draftica et omnia Venena acria, Vomitus nimius, Haemorrhagiae suppressae, Vermes, Sordes primarum viarum, Flatus, Spasmus, Grauiditas, Motus febribiles vehementiores, capitis Concussio, pronus capitis Situs diu durans, Collaria nimis constricta, Balnea calida, Vlcera in cavitate narium, Emunctio et Screatus nimis vehemens, Irritantia in nares inducta, Vulnera, Contusiones et omnes externae Narium laesiones. Causa proxima eadem est, quae in omnibus Haemorrhagiis deprehenditur, et superior notata fuit.

*Diagnosīs* huius quoque Haemorrhagiae per se patet, sedulo autem attendendum, ne fallaciam committamus, turundis enim Naribus applicatis aliisque externis adhibitis stipticis remediis fieri solet, vt viis per Narium cauernas anteriores praecclusis, ad os et fauces regurgitet sanguis adque exspuatur, gruinosus plerumque, quandoque etiam floridior et fluidus; atque sic incaute hoc sanguinis sputum posset pro Haemoptoë haberis; quod et DREYSSIGIVS superius adducto loco annotauit.

*Prognosis.* Si Haemorrhagia Narium sponte in Hominibus robustis ac plethoricis, vel in Infantibus, vti saepe fieri solet propter maiores congestiones sanguinis versus nares in hac aetate satis frequentes oritur; vel si ea aliis Haemorrhagiis substituitur, nullum extimescendum est periculum, sed hic, vt naturae effectus, considerari, immo etiam a multis morbis praecaueri potest, hinc, nisi alii periculosis-

losissimi morbi, e. g. Epilepsia simul concurrant, non est supprimenta; quandoque tamen imminuenda, si nimia et nimis frequens fuerit; quo in casu certe omni cautela opus est, ne maior noxa atque periculum ex suppressione, quam ex continuata euacuatione timeri debeat.

Plura mirae Haemorrhagiae per plures dies noctesque continuatae exempla notarunt FORESTVS, m) SMETIVS, n) MORONVS; o) de prodigiosa Haemorrhagia, qua quadraginta sanguinis librae profluxere, retulit SCHENCKIVS, p) et ex Actis Eruditorum Lipsiensibus adduxit obseruationem KRAVSIUS, q) de Haemorrhagia narium Iuuenis, quae ab animi affectionibus orta erat, et per quam 75 librae sanguinis, non solum sine omni detimento effluebant, sed etiam ab eo tempore sanus manebat, cum antea saepius morbis correptus fuisset. Attamen etiam exempla prostant de funesto Haemorrhagiae narium exitu, vnicum hic annostasse sufficiat. Refert HARDERVIS r) casum, de Viro, qui eiusmodi pertinaci sanguinis per Nares effluxu diu vexatus, tandemque extinxus fuit, in quo Cor atque omnia vasa cruro prorsus exhausta fuerunt. Bonum quoque effectum narium Haemorrhagia producit, si ea morbis quibusdam sece associat, qui ab hac plerumque leuantur, immo curantur. Laudat eandem praesertim in Febribus continuais VOGEL, s) in simplici Synocho Idem t) interdum in Febribus catarrhalibus et gastricis SPRENGEL u) etiam in Febribus exanthematicis, e. g. in Scarlatina, Miliari et Variolis, attamen notandum, proclivitatem in putredinem adesse non debere, quoniam tunc varia mala producere posset. Commendarunt porro in Phrenitide GALENVS, x) in Peripneumo-

B 3

nia,

m) Obseruatt. libr. XIII. obs. 14.

n) Miscellan. pg. 524.

o) vid. Eius Directorium, pg. 390.

p) vid. Eius Obseruatt. libr. I. fol. 197.

q) vid. Eius Abb. von Blutflüssen, p. 25.

r) vid. Eius Thesaurum obseruatt. pg. 188.

s) vid. Ej. Handbuch d. prakt. Arzneywissenschaft, Stendal 1781. 1. Tb. p. 258.

t) loc. cit. pag. 300.

u) vid. Eius Handbuch d. Pathologie, Lpz. 1796. 2. Tb. pg. 102. 177.

x) vid. Eius de Crisib. L. III. cap. 3.



nia SPRENGEL, y) in Hepatitide SWIETEN, z) in aurium Inflammatione et Synanche maxillari seu Angina parotidea VOGEL, a) in Rheumatismo SPRENGEL, b) in Tussi conuulsua et Cardialgia Idem, c) in Apoplexia v. STOERK, d) in Catalepsī AETIVS, e) nec non SPRENGEL, f) et sic etiam in Amaurosi, Epilepsia, Melancholia etc. *In genero*, inquit DREYSSIG, g) *Haemorrhagiam narium in omnibus morbis, in quibus venaesectio requiritur, utilem esse, quoniam eruptio sanguinis spontanea effectum magis beneficum in corpus exserat ac si eadem sanguinis copia arte euacuetur.* Si e contrario Haemorrhagia narium a Scorbuto, ab Acrimonia scrophulosa etc. Obstructione viscerum, a Tenuitate sanguinis, Vitiis organicis vasorum et viscerum, et magna Debilitate vasorum et reliqui corporis orta fuerit; maximo cum periculo coniuncta est, vel, quia statim mortem, vel, morbos curatu difficillimos, vt: Hydropem, Cachexiam, Febrem lentam, et Phthysin adferre solet; nocuam quoque hanc esse euacuationem in Febris neruosa continua FRANK, h) in Febribus malignis et petechialibus WEPFERVS, i) in Febribus quartanis HIPPOCRATES, k) in Angina maligna GIRTANNER, l) interdum in Peripneumonia STOLL, m) in Hydrope SWIETEN n) do-

cue-


- y) loc. cit. pg. 152.
- z) loc. cit. Tom. III. pg. 103.
- a) loc. cit. 4ter Theil, pg. 96. 159.
- b) loc. cit. pg. 502.
- c) loc. cit. 3. Theil, pg. 313. 227.
- d) vid. Eius medicin. prakt. Unterricht für d. Feld- u. Landwundärzte der österreich. Staaten, Wien 1786. 1. Theil, pg. 320.
- e) vid. Ej. Tetrabibl. II. Serm. II. cap. 4.
- f) loc. cit. 3. Theil, pg. 302.
- g) loc. cit. pg. 40.
- h) vid. Ej. Grundsätze üb. die Behandlung d. Krankheiten d. Menschen, Mannh. 1794. Vol. I. p. 100. 105.
- i) vid. Ej. Cicutae aquat. histor. et nox. cap. 5. pg. 52.
- k) vid. Ej. Aphor. S. Sect. VIII.
- l) vid. Ej. Abb. üb. die Krankheiten d. Kinder, Berl. 1794. pg. 173.
- m) vid. Ej. Aphor. üb. d. Erkenntniß u. Behandl. der Fieber, übers. v. EYEREL, Wien 1787. p. 65.
- n) loc. cit. Tom. IV. pg. 208.

cuerunt. In genere in omni Haemorrhagia narium siue in Febris, siue extra febres obueniat, praesertim eo respiciendum est, an corpori salutaris sit, an potius noxia; Salutaris est, et sine periculo, si durante Haemorrhagia omnes, qui antea adfuerunt, affectus remittere incipiunt, et aegrotus leuamen et robur sentit. Noxia et cum maximo periculo e contrario coniuncta est, si aeger ratione debilitatis nullum fentit leuamen et antea praefentia Symptomata non immuniuntur, immo noua oriuntur, vt sunt: Sudor frigidus, animi Deliquia vehementia, Pulsus vix perceptibilis intermittens, Respiratio intercepta etc. Ab Haemorrhagia narium, a causis externis orta, per se in genere spectata, minus certe periculum metuendum est, quam, quae a causis internis producitur, attamen in omni prognosi formanda, non solum ad causas externas, sed etiam constitutionem corporis, et ad causas internas, quae accidentaliter accedunt, respiciendum est; vt de Haemorrhagiae effectibus certum Iudicium ferre possimus. BVRSE-RIVS o) de Prognosi sequentia notauit: *Etenim vel copiose, et magno fluxu erumpit, et tunc vera est narium Haemorrhagia; vel guttatum, et parcus, lenteque exstillat, et tunc stillicidum dicitur. Quod ultimum in morbis symptomaticum est, atque iutile naturae conamen; nihil enim paucum communiter esse potest criticum.* p) *Narium Haemorrhagia senibus in*

o) loc. cit. Vol. III. pg. 314.

p) HIPPOCRATES, in Coac. n. 57. 337. 340. §. 269. Retulit Exp. Praeses, ad cineres vsque mihi venerandus, in Praelectionibus casum de aegroto, febre catarrhalis maligna laborante, qui septima die Haemorrhagia narium laborare coepit, quaeque per decem horas continuauit, et intra hoc tempus sedecim circiter libras sanguinis, amplis fatis vasculis excepti, amisiit. Copia hac sanguinis perterritus et cum in aegro nullum fere vitae signum amplius apparuerit pulsusque plane defecerit, de sistendo fluxu cogitauit; ast vix suppressa per aliquot horas Haemorrhagia orta sunt vehementissima deliria, quae etiam ad decimum quartum diem continuarunt, quo de novo accessit sanguinis per nares effluxus, sed admodum paucus, neque inde leuamen sensit aeger, potius continuo delirauit vsque ad vigesimum diem, quo purpura alba apparuit, quae vero citissime iterum euanuit et eius loco gangraena in gluteis musculis fatis ample ambitu apparuit, qua aptis statim remedijs tractata, tandem curata et aeger conseruatus fuit. Erat certe,

vt



*inassuetis superueniens saepe apoplexiam praedit. Si hominibus valde imbecillibus Haemorrhagia accedit, saepe vitam cum sanguine effundit, vel tabem relinquit, aut cataractam, glaucoma, guttam serenam, et oculorum caliginem et coecitatem.* q) *Hecticis vero, in quibus sanguis nimis resolutus est, et omnia vasa laxa sunt, Haemorrhagia mortem plerumque propinquam induit.*

### PARS III.

#### *De Haemorrhagiae narium curatione.*

Quibus nunc pertractatis restat, ut et pauca quaedam de Haemorrhagiae narium curatione addam. Ut autem omnis narium Haemorrhagia, quamvis et lenissima videatur, nunquam neglegi, leniterque tractari, sed quam diligentissime disquiri debet; sic et respectu curationis, auxilia, huic Haemorrhagiae opponenda, sollicite eligenda et applicanda erunt, siue sint interna, siue externa. In curatione vero sequentia obseruari debent. Si haec Haemorrhagia, ut euacuatio sanitati conueniens, considerari potest, ea, ut iam superius monuimus, nullo modo est suppressa, immo si etiam nimis aucta videatur et corpus inde debilitetur, leniora tantum Remedia adhibenda erunt e. g. Situs erectus capitis, Aér frigidior, temperantia Medicamenta, his enim mitigatur quidem, non vero subito sistitur. Si autem statim ab initio, ut euacuatio sanitati minus conueniens aestimanda, ea supprimi debet, et quidem sequenti modo. a) Si a plethora, nimio corporis motu, nimio calore, animi affectionibus, et inde producta sanguinis congestione et orgasmo orta fuit, Refrigerantia, Deriuantia, et animi affectus Moderantia, applicanda sunt, vt: Decubitus et erectus capitis Situs, Victus acidiusculus, refrigerans, sed non nutriens, Aér refrigerans, Oxymel simplex, Cremor tart. Nitrum, Sal ammon. Vena-


nae-  
vt postea cognouit Exp. Praeses, prior Haemorrhagia vere critica, et si illa non suppressa fuisset, statim conualuisset aeger. Ideoque Auditores sedulo monuit, in febribus acutis, et si ingens et copiosa videtur narium Haemorrhagia, eandem tamen nunquam esse suppressandam.

q) cfr. PLATNERI Ars medend. §. 269.

quae secessio, Hirudines, Vesicatoria, Balnea pedum tepida, Clysmata.  
 b) Si autem stagnationes sanguinis in vasis et obstructiones causam  
 constituunt, propinanda sunt Resoluentia et Diluentia, vt: Potus aquo-  
 sus, Aquae minerales, Serum lactis, Decocta et Extracta Rad. Grami-  
 nis, Taraxaci, Saponariae etc. Salia media, vt: Sal ammon. Tart.  
 tartarisatus, Terra foliata tartar. etc. c) Si a sanguinis proclivitate in  
 putredinem, et Scorbuto deriuanda, adhibenda sunt tam externa, quam  
 interna, Antiseptica, Roborantia, Adstringentia et Antiscorbutica, vt:  
 Regimen acidulosum et refrigerans, Vinum, Acetum vini, Aér fixus,  
 Acida mineralia, Herb. Beccabungae, Cochleariae, Nasturt. aquat.  
 Cort. Chiae, Simarubae, Cascarillae, Salicis, Rad. Columb. Lig.  
 Quassiae, Guimm. Chino, Camphora, Alumen, Tinct. Cinnamomi et  
 Flor. papav., Fomentationes frigidae, SCHMVCKERIANAE, e. g. vel  
 ex aqua, Sal. ammon. et Aceto praeparatae, immo et ipsa Glacies.  
 d) Nemnia etiam tam totius corporis, quam vasorum debilitas, nimium-  
 que incrementum, tanquam causae consideranda sunt, atque tunc non  
 solum Roborantia et Adstringentia supra memorata conueniunt, ve-  
 rum etiam Alimenta apta et facile digerenda requiruntur. e) In cor-  
 poris constitutione vel nimis stricta, vel rigida, Emollientia et Rela-  
 xantia propinari debent, vt: Balnea tepida, Potus mucilaginosi calidi,  
 Inunctiones et Clysmata a seminibus oleosis parata etc. f) Tensiones  
 vasorum, spasmos, et constitutionem corporis nimis sensibilem corrigi-  
 mus per Emollientia supra memorata, et Antispasmodica, vt: Infu-  
 sum Chaenomillae, Rad. Ipecacuanhae, Valerianae, Mosch. Castor.  
 Ass. foetid. Opiata, Flor. Zinci, et Clysmata. g) Transpirationem  
 suppressam restituimus per Diaphoretica, vt sunt Potus calidus, e. g.  
 e. Flor. sambuci, Mixtura simplex, Spiritus Mindereri, et tepida pe-  
 dum Balnea etc. h) In Haemorrhagiarum consuetarum suppressione,  
 iis vti debemus, quae speciatim illis conueniunt easque restituere va-  
 lent; in primis hic ad Menstrua, ad Haemorrhoides erit respiciendum.  
 i) Si ab incaute sanatis ulceribus et effluxibus consuetis, vel naturali-  
 bus vel artificialibus, et inde in humoribus orta acrimonia dependet,  
 ulcera haec et effluxus, quantum fieri potest, restitui et humores acri-  
 monia infecti destrui et inuolui debent, adhibeantur itaque Decocta

C

et



et Extract. Rad. Graminis, Tarax. Stipites Dulcamarae etc. Serum lactis, Spirit. Mindereri, Salia media, Aquae minerales, Fonticuli, Setaea, Vesicatoria et Balnea tepida etc. k) De acrimoniis variis ex thematicis aliisque specificis corrigendis conferri merentur SACHTLEBEN<sup>r</sup>) et SELLE,<sup>s</sup>) qui satis copiose et erudite de his egerunt. l) Etsi rarius, quandoque tamen ab assumtis venenis originem dicit; haec autem pro sua diuersa indole, diuersa quoque desiderant Antidota; e. g. Oleosa et Mucilaginosa contra venena acria; Acida vegetabilia contra narcotica, in omnibus autem Aqua tepida, et Vomitoria conueniunt. m) Frequentius fordes gastricae in causa sunt; et si hae versus superiora vrgent, Vomitoria, vt: Tartar. emet. Rad. Ipecacuanhae, si autem versus inferiora, lenia Purgantia, vt: Manna Calabr. Pulp. Tamarind. et Cassiae, Sal Glauberi, amarum, et polychrest. Seignette, conueniunt. n) A flatibus quoque et obstrunctione alii oriri solet, tuncque sumenda sunt non solum Carminativa, vt: Flor. Chamomillae, Cort. Aurant. Menth. crisp. et piperit. etc. sed etiam Aperientia, Emollientia et si flatus et obstructio a laxitate canalis intestinalium dependet, Roborantia, supra commemorata. Sic quoque per apta remedia omnes aliae causae, quae Haemorrhagiae narium occasio nem praebere possint, remouendae erunt; e. gr. o) Diaeta aromatica, spirituosa, laute nutriendis et calida sensim sensimque mutanda aliaque ac constitutioni corporis aptior suadenda. p) Habent quoque Vermes cum naribus consensum, si tales adsunt, Anthelmintica; vt: Sem. Santonici et Tanaci, Rad. Filic. Valeriana, Vitriol. mart. etc. q) Vomitus nimius, quomodocunque ortus, vel etiam a vomitoriis drasticis productus; vt et r) nimis vehemens Tussis secundum suas diuerfas causas considerari et emendari debet; sic quoque s) nimia Sternutatio, Antisternutatoria, e. g. Vapores emollientes et Iniectiones in narres ex lacte et aliis mucilaginosis paratae, desiderat. t) De Polypis nihil moneam, conferantur scripta chirurgica RICHTERIT) et BERNSTEIN.

STEI-

r) vid. Ej. prakt. Pathologie u. Therapie der auszehr. Krankheiten, 1792.

s) vid. Eius Medic. Clinic. 1797.

t) vid. Ej. Anfangsgründe d. Wundarzneykunst, 1788.

STEINII u) aliorumque. Vitia organica vasorum et viscerum, raro vel nunquam emendari possunt, ideoque apta tantummodo commendetur diaeta, et euitentur sedulo omnia, quae congestiones et orgasmos producere possunt. w) Inter causas satis frequentes dispositio quoque haereditaria est numeranda, et in hac ea obseruanda, quae superius notauimus, scilicet an corpori sit vtilis vel noxia? etiam si noxia viva fuerit, ea tamen non statim suppressa, sed tantummodo mitiganda, si autem nimis vehemens et cum periculo vitae coniuncta esset, hinc illa adhiberi debent Remedia, quae infra indicabo. x) Laesiones externae et irritamenta auxilia chirurgica requirunt, de quibus conferantur BELLII x) et RICHTERI y) scripta. Cum autem causae nunc commemoratae non semper et sufficienter cognosci, vel saltem non statim vel prorsus non remoueri possint; ideoque haec Haemorrhagia partim propter vehementiam, partim durationem nimiam non solum aegrotos valde debilitet, verum etiam mortem facile inferat, statim per apta et efficacia Remedia fisti debet, postea autem causae melius accuratiusque disquiri, et, si fieri potest, remoueri debent. Remedia hoc pertinentia sunt: Refrigerium, Quies corporis, Situs capitinis erectus, Locus tenebrosus. *Vt collum ab omnibus vestimentis liberetur, et omnia aliis locis corpori nimis adstricta vestimenta soluantur, recle monuit BERNSTEIN.* z) Potus acidi, et refrigerantes, Medicamenta temperantia, Fomentationes frigidae supra laudatae, ceruici, capiti et naribus, comode etiam regioni lumbari et membris genitalibus applicandae. Solutionem aluminis vel aliis fluidi adstringentis, vt gargarisina, valde profuisse BELLIVS a) notauit. Alumen, Vitriolum, Ichtyocolla, haec in aqua soluta, Spiritus vini concentratus, Liquor anod. Hoffm. Aqua vulneraria THEDII, partim cum turundis narium cavitati applicari, partim vero etiam iniici possunt. Boletus ignarius, Agaricus, Balnea tepida pedum bene conducunt, plus vero praefstat Venaefectio. *Cucurbitulas siccas*

u) vid. Ej. *prakt. Handbuch f. Wundärzte u. Geburtshelfer*, 1790.

x) vid. Ej. *Lehrbegriff der Wundarzneykunst*, 1793.

y) loc. cit.

z) loc. cit. Tom. I. pg. 576.

a) loc. cit. Tom. III. pg. 461.

siccas sive vacuas sub costis spuriis applicatas commendat KLEMPP b)  
Extremitates etiam fasciis iuuolui possunt, ad sanguinis effluxum inhiben-  
dum; attamen hoc caute fieri debet, ne inde congestiones versus peritus  
excitentur, bene monente BERNSTEINIO. c) Si autem omnia, Hae-  
morrhagiae narium opposita, Auxilia, frustra sunt adhibita tunc BEL-  
LIVS d) Compressiones suadet.

b) vid. Ej. medicin. Handbuch, ed. nouiss. 1796. pg. 328.

c) loc. cit. pg. 576.

d) loc. cit. pg. 463.

### T H E S S.

---

- I. Aér nimis calidus grauiora infert mala, quam nimis frigidus.
  - II. E sola pulmonum substantia ad infanticidium concludi nequit.
  - III. Vulnus mucroni cordis infictum non pro absolute letale iudicandum est.
  - IV. Pulsus durus solus inflammationem non indicat.
  - V. Purgantia drastica saepe magis nocere, quam iuuare videntur.
  - VI. Mercurius solubilis Hahnemann in morbis venereis omnino commendandus est.
-